

F. N. F. C. C.

DE ADVOCATIS VETERUM DISSERIT,

et simul

V I R O S

Summe ac plurimum Reveren-
dos, Excellentissimos, Nobilis-
simos, Prudentissimos, Cla-
rissimos, Doctissimos,

NEMPE

GRAVISSIMOS DOMINOS
SCHOLARCHAS,

ET OMNES ALIOS,

QUI BONIS LITERIS PRETII

ALIQUID STATUUNT,

UT

ACTUM VALEDI-
CTORIUM

JUVENIS ET GENERIS ORIGINE ET INGENII
FELICITATE PRÆSTANTISSIMI,

CAROLI BALTHASARIS HÜBLERI,
Chemnicensis,

V. CALENDAS JULII

TEMPORE LOCOQUE CONSUETO,


PRÆSENTIA SUA HONORIFICA ORNARE

NE GRAVENTUR,

maximo rogat opere

M. DANIEL MÜLLERUS,

RECT. SCHOL. CHEMN.





* * *

DE *Advocatis Veterum* pauca hic commentari constitui, dum Juvenis Eximii, alios, Deo fortunante, advocacionibus aliquando adjutori, honeste dimittendi causa, perscribenda quaedam esse sentio. Ubi quidem alias, quibus salutari fuerunt, appellationes si intuebor primum, non inconsulte me acturum esse credo. Dicti sunt *Patroni*; cujus tituli originem atque conditionem si intelligere recte volumus, Romuli illius, qui Romam condidit, tempora animis sunt repetenda. Hic cum proceres, potentiaque & opum plus habentes a plebe distinxisset & separasset, ac plebejos illis tuendos regendosque commendasset, clientes alios, alios Patronos nominavit, a cura praesente paterna ac sollicitudine, qua Patroni clientes complecti, iisque omnia praestare deberent, quae a Patribus in filios solent proficisci. Qua de re si doctissimi *Job. Gottl. Heinicci* percipere verba juvat, ita ille, *Patriciorum*, inquit, (a) erat, *Parentum munere fungi erga plebejos, unde & Patroni, quasi Patres, dicebantur. Optio ergo unicuique erat a plebe, sibi Patronum, quem vellet, eligendi, quem oportebat clientibus respondere de jure, cuius illi erant rudes, absentium aequae ac praesentium negotia curare, lites pro illis suscipere, in jus vocatos defendere, & quietem pro virili parare a publicis privatisque negotiis.* Quales Patroni non privati tantum, Romae & alibi degentes, sed coloniae quoque, urbes sociae, gentes amicae & devictae sibi Romae, et Patriciis & postea Senatoriis familiis, delegerunt, id quod probari, nisi res ipsa loqueretur, nullo negotio posset. Et in locum Patronorum horum, postquam jus & consuetudo eorum Romae eligendorum exiraverat, successerunt *Advocati*, Patroni propterea vel Patroni causarum dicti, quos inter & *Patronos litium* discernendum omnino esse, existimavit (b) *Jacobus Gutherius*, quem, qui vult, evolvat. Venisse in Patronorum locum *Advocatos*, probarunt multi, & inter hos *Georgius Beyerus*, post Reges exactos Patronorum nomen ad oratores causarum ex Patriciis et Senatoribus constantes, quos solo virtutis & famae meritum praemio inductos defendisse dicit tenuiores, translatum esse confirmans. (c) *Jureconsulti* etiam vulgo sunt appellati, quanquam inter *Advocatos* & *Jureconsultos* discriminis aliquid intercessisse, accuratioribus Scripторibus observatum fuit. Illi enim clientum loco iudicem adhibent causas oraturi; ab his vero de iis, quae ad jus pertinet, consilium tantummodo expetebatur, modo in foro, modo domi. Nam, sicut laudatus *Heiniccius* ait, (d) *solebant frequenter medio foro inambulare, veluti obvii & communes iis, qui haerere incerti, & sibi consulendi remedium ignorarent.* Et ad communiendam hanc sententiam sequentia *Ciceronis* allegat verba: (e) *Privata consilia maximarum quidem rerum in jureconsultorum mihi videntur esse prudentia. Nam & adsunt multum (in medio puta foro) & adhibentur in consilium (domi,) & a foribus hastas ministrant.* In transitu quasi attingere hic possum, inter *Jurisconsultum* & *Jurisperitum*, tamen idem sonare prorsus videantur, nonnihil olim interfuisse. Ille enim, id quod jam monitum fuit, consulentibus, casu quodam dubio occurrente, respondebat; hic jura in scholis interpretabatur, legumque erat Doctor: quod duplex genus ipse quoque intellectum vult *Cicero*, alii, inquiens (f) *de jure respondent, docent alii, & eodem tempore discitibus satisfaciunt & consulentibus.* Super sunt plura nomina *Advocatis* tributa, nomen *Causidicorum*, quos *causidicinam in foro gerere* dixit Imperator (g), nomen *togatorum*, (h) ob togam, qua usi sunt, forenses; nomen *Oratorum*, luculentis Orationibus vel criminis cujusdam suspectos inculcantium, vel in jus vocatos defendentium; quo etiam *Cognitores* & *Procuratores* certa ratione possunt referri; sed missis aliis nominibus ad ipsum *Advocatum*, caput hujus tractationis, revertendum esse judico. Quis fuerit hic, & unde id nominis

(a) In Antiquitatum Romanarum jurisprudentiam illustrantium Syntagma. Lib. I. Tit. II. §. 29. p. 56. 57. (b) Lib. III. de Officiis domus Augustae cap. 2. in Alberti Henrici de Sallengre Tom. III. Nov. Thesaur. Ant. Rom. p. 437. (c) in Delineat. Juris Civilis ad fundamenta sua revocati Lib. III. tit. 1. (d) loc. cit. p. 437. (e) in Topic. cap. 17. (f) Lib. I. de Orator. c. 17. Vide Gutherium loc. cit. p. 437. (g) Lib. 188. C. T. de Decurionib. (h) De nomine Togarum Advocatis dato vide Rosin. Antiquit. Roman. Lib. V. Cap. 32. p. 904. Eodem fere modo Galli *Advocatum* vocant un homme de robe longue.

fit fortitus, antequam expono, paucis commemorare liceat, tempore Decemvirorum, quorum potestatem tertio anno, ex quo in Rempublicam invec- tum primam fuerat, in univcrsum sublatam extinctamque esse *Rofinus* (i) & alii obfervarunt, *Advocatorum* ufum plane exstitiffe nullum. Tunc enim nomine alieno agere non licuiffe, fed quemque per fe fuam orare cauffam debuiffe, ex lege quadam Decemvirali probat, inffitutumque hoc Decemvirorum ex Attico in Romanum forum translatum fuiffe, adducto *Quintilian* (k) loco, offendit *Carolus Bretus* (l). Nunc, unde nomen *Advocato- rum* fit exortum, explicare dicendum eft. Nempe cum alieno nomine experiri illicitum effer, qui ipfimet vadimonium obibant cauffamque dicebant, parentes amicosque advocabant, qui (quæ verba funt *Caroli Breti*) (m) & *sibi faverent, & religionem iudicibus injicerent; quafi non unius cauffa verteretur, fed multorum advocatorum, parentum amicorumque*. Gemella ratione rem explicat *H. F. Salomon, Advocati*, inquit, (n) *erant amici, qui fqualidis & in reatu fedentibus, ad movendos iudicum animos, operam fuam accommodabant; fic dicti, quod advocarentur & arcefferentur, quafi operæ forenſes &c.* Poſtea, cum reipublicæ uſus & neceſſitas requirere hoc videretur, licere cœpit omnibus, jus experiri ſuum per Patronos vel Oratores, quibus *Advocatorum* titulus quali proprius deinde manſit: id quod ex multis Auctorum bonæ notæ locis cognitu eſt facile. Sic *Cicero* noſter, *Conſulem de pecuniis repetendis Catilinae fuiſſe advocatum*, ait (o). Et *Mitio*, ſenex ille *Terentianus*, interrogat: (p) *Advoſumne illum cauffam dicerem, cui veneram advocatus?* Imo ex *Ulpiani* mente (q) *advocatos accipere debemus omnes omnino, qui cauffis agendis quoquo ſtudio operantur*. Munus & opera advocatorum audiebat advocatio, quod vel ex *Plinio* manifeſtum eſſe deprehenditur, ad *Minutium* ita ſcribente: (r) *ſi quem interrogas: Hodie quid egifti? reſpondeat, officio togæ virilis interfui, ſponſalia aut nuptias frequentavi: Ille me ad ſignandum teſtamentum, ille in advocacionem, ille in conſilium rogavit*. Patet id, ut alia Scripſorum loca taceamus, ex *Cicerone*, *Trebatium* in re militari multo eſſe cautiorem, quam in advocacionibus, affirmante (s). Ipſum adeo verbum *advocare* a Scripſori- bus adhibitum fuit, ſi quem cauffam orare, indicare voluerunt: quo pacto hæc *Plinii* (t) verba accipiunt interpretes: *Ideoque interim veniam, ne a forenſibus verbis recedam, advocandi peto*. Atque hoc, quod dixi, advocacionis munus ſanctæ ac ſine fraudis ſuſpicionem olim erat adminiſtrandum: qua de cauffa *Juſtinianus* etiam Patronos ſive Advocatos initio ſulcepti patrocinii, tactis quatuor ſacroſanctis Evangeliiſ, voluit jurare (u), *ſe omni virtute ſua, omni que ope, quod verum & juſtum exiſſimarint, clientibus ſuis illaturos, neque creditæ ſibi cauffæ, cognita ejus iniquitate, vel penitus deſperatæ, & ex mendacibus allegationibus compoſitæ, ſcientes atque prudentes patrocinaturos*. Eadem eſt cauffa, cur *Valentinianus*, Imperator, iſ ſuccenſeat (x), qui malis artibus munus iſtud adeo honoratum dehoneſtant & depravant; dum videlicet id non ad clientis commodum, ſed ad turpe compendium ſtipemque conferunt deformem (y). Quod a noſtrorum temporum Advocatis, ſi munere ſuo rite velint fungi, *D. Gothofredus Barthius* requirit (z), ut ſint clientibus ſuis fideles, iudicis aut adverſarii offenſas parum curantes, ut injuſtas cauffas, præfertim criminales, defendendas non ſuſcipiant, atque debito ordine, obſervatis, quæ vocantur, *Formalibus & Fatalibus*, clientum jura proponant; id omne etiam olim in bonis Advocatis inefſe debuit. Quibus paribus ſi pro virili ſatisfacere ſtudebant, ab unoquoque multum decoris, multum dignitatis illis adjungebatur. Hæc, quam loquor, dignitas muneris eorum inde cognofci negotio facili poteſt, quoniam ad illud non quemlibet promiſſæ admiffum eſſe, legimus relatum: ſiquidem indigni aliqui, aliqui minus idonei iudicabantur; quod videlicet cardo quali ſplendoris & digni-

(i) In Antiqu. Rom. Lib. VII. cap. 18. p. 1134. (k) Lib. II. Inſt. Orat. cap. 16. (l) In Commentario de ordine antiquo iudiciorum civilium, cap. 16, in Alb. Henrici de Sallengre Tom. II. Ant. Rom. p. 1091. (m) loc. cit. p. 1091. (n) In Commentar. de Officiis Vitæ Civilis Romanorum, cap. 15. in Alb. Henr. de Sallengre Tom. III. Ant. Rom. p. 665. (o) in Orat. pro Sylla, cap. 29. (p) In Adelph. Act. IV. Sc. V. verſ. 42. (q) leg. l. §. II. Dig. de extraord. cognit. (r) Lib. I. epiſt. 9. p. 27. (s) Lib. VII. ad Famil. Ep. 10. (t) Lib. V. ep. 8. (u) L. rem non novam. C. de iudic. l. 2. C. de jurejur. propt. cal. (x) Auth. de poſtul. (y) Verba hæc ſunt *Caroli Breti* l. c. p. 1095. (z) In Hodegera Forenſi, Criminali & Civili, in Prefatam.

tatis iudicum in eo verrebatur, si ad munus advocacionis non omnes sine delectu, ut *Ulpianus* sentit (aa), admitterentur. Indignos hoc officio declarat *Ulpianus*, qui publico damnati crimine; qui in se muliebria passii; qui in spectaculis locarant operas suas; qui artem exercuerant scenicam; quibus denique alia vitae turpitudine infamibus advocacione interdictum fuerat (bb). Minus idonei, praeter lurdos & utroque lumine caecos, reputati sunt homines septem & decem annis minores; quod adhuc in praetexta essent puerili, et per aetatem rebus arduis minus habiles: quanquam apud Gracos Demosthenes, puer fere, orationes pupillares habuisse dicitur *Quintiliano* (cc). Quod si vero aetas huic negotio matura aderat, dicendique exercitatione, quae linguam & ingenium acuit, praeparati satis credebantur, eodem, quo virilem fumebant togam, die in forum, a Consulari vel alio praeclearo viro, solempni ritu deducebantur, ut hujus tyrocinium muneris auspiciarentur, & quid valerent humeri, quid ferre recufarent, tentarent. Quo facto ab amicis parentibusve celebri cuidam patrono tradebantur, fructuari scilicet ejus contubernio, quoad fori usum satis didicissent: id quod clarissimum Ciceronis exemplum docet, de se, *Ego autem*, inquietis (dd), sic a patre deductus sum ad *Scevolam*, junta virili toga, ut, quoad possem & liceret, a senis latere nunquam discerem. Scitu etiam hoc non indignum est, non proprio ausu ad causas dicendas eos advolasse; sed, uti ex *Ulpiano* (ee) constat, a Senatu, a Praetore, a Praeside & petitis et datos fuisse Advocatos: qua in re calculum suum *Ulpiano* adjicit *Plinius*, dum se & *Cornelium Tacitum* contra *Marium Priscum* a iudiciibus adesse Afris iustos esse, exponit, totamque causam enarrat (ff). Invitos etiam ad obeundum hoc munus compelli eos potuisse, *Plinii* libri et aliorum monumenta testantur; quanquam ad definitum tantummodo tempus. Ut enim militiae, ita etiam advocacionis olim erat vacatio, qua de re, qui *Jacobum Gutherium* (gg) evolvit, dubium fovere animo potest nullum. Addere quaedam de *Advocatis Veterum*, de praemiis nempe & honore bonorum, de poenis malorum, et quae sunt similia, propositum mihi erat; verum quoniam capiendis omnibus pagina non par est, accedere praestat ad *Juvenen generis origine et ingenii felicitate Praestantissimum*,

Carolus Baltasarem Hüblerum,

quem bonum temporem nostrorum fore Advocatum, prorsus ego confido. Habet enim in Familia florentissima, quos si intente mentis acie inueter, admotis quasi stimulis ad Patroni et Advocati laudem magna diligentia aucupandam, excitatur. Habet Parentem, *Dn. Baltasarem Hüblerum*, Jurisconsultum & Praetorem de urbe patre nostra et de nobilibus, quibus juris scientia solidissima plurimum operae praestat, familiis longe mercitissimum, ad cujus domum si verba (gg) *Ciceronis*, domum *Jurisconsulti esse oraculum totius civitatis*, applicuerimus, minus, quam verum est, dixerimus. Habet fratrem natu majorem Clarissimum, *Dn. M. Fridericum Baltasarem Hüblerum*, qui dum *Actionem Tutelae adversus Magistratum* ante menses aliquot docte scripsit & masculo defendit, qualis *Jurisconsultus* futurus sit, aperte satis prodidit. Taceo alios, quos familia haec vel habuit vel habet viros *Juris* scientissimos, quos si mente adspiciet *Hüblerus* noster, qui a puero bonarum literarum studium in schola nostra sedatus est, et quoties ad *Oratoris* partes tuendas surrexit, advocacioni futurae quasi praelust, animum sibi ad virtutem eandem accendi sentiet; quo fieri, ut *Parens* *Consulitissimus* de hoc etiam filio, velut de reliquis thalami pignoribus, predicare vere queat: *Mei non degenerant*. Haec mea de *Hüblero* spes est, qui ante discessum, *Philosophiae studium a studio Juris abesse non debere*, Or. lat. ostendit, et carmine vernaculo patriam valere jubebit: haec etiam spes de eodem est, ut coetus nostri, ita maxime *Adolescentis* ἐπιφυσία

Georgii Sigismundi Greenii, Chemnicensis,

qui eidem hos, quos sperat, felices studiorum successus, comparatis in Or. lat. *studiosis bonarum literarum cum apibus Hyblaeis*, carmine germanico apprecabitur. Vos quoque, *Patroni ac Fautores*, Actui huic interesse ne gravemini, eos, quibus sic gratificamini, hanc benevolentiam memori mente servaturos esse, certo credentes.

(aa) Lib. I. ff. de post. (bb) Vide *Carolus Bretum* loc. cit. p. 1092. (cc) Lib. XII. Inst. Or. c. 6. p. 708. (dd) in Dial. de Amicitia. (ee) Lib. I. ff. de post. l. 9. §. observare. ff. de Off. Praef. (ff) Lib. II. ep. ii. p. 100. (gg) Lib. I. de Orator.

nc

J. N. J. C. C.

DE ADVOCATIS VETERUM DISSERIT,

et simul

V I R O S

Summe ac plurimum Reverendos, Excellentissimos, Nobilissimos, Prudentissimos, Clarissimos, Doctissimos,

NEMPE

SIMOS DOMINOS

HOLARCHAS,

ET OMNES ALIOS,

IS LITERIS PRETHII

LIQUID STATUUNT,

ut

M VALEDI-
TORIUM

GENERIS ORIGINE ET INGENII
CITATE PRÆSTANTISSIMI,

LTHASARIS HÜBLERI,

Chemnicensis,

ALENDAS JULII

RE LOCOQUE CONSUETO,

IA HONORIFICA ORNARE

E GRAVENTUR,
maximo rogat opere

NIEL MÜLLERUS,

CT. SCHOL. CHEMN.

CII, LITERIS STOESELLIANIS

